

ter , (a) ut denique undecimum , quod per paucis accidere solet , coactus fuerit capessere hanc partem Reipublicae .

Anno tamen M.DC. VIII. kal. octobris , (b) in Senatum lectus est , cum praeclarissimorum in Maurocena gente civium ob ingentem numerum , qui ad senatoriam dignitatem pro meritis aspirat , difficillimum semper fuerit , maximeque operosum in eum gradum condescendere . Cautum enim legibus est , ne plures quinque ex eadem gente in Senatum legantur . Quamobrem cum multae familie , plurimique lectissimi viri e Maurocena gente tamquam ex equo Trojano prodeant , ipsa virtutis , & meritorum copia difficilem fibimet ipsis reddunt ad Senatum aditum : quem tamen Andreas ipse facillimum habuit , cum senatoriam prudentiam singularem , praecellentis doctrinae praesidio , & multo rerum usu constitutam gereret , magnique animi , & praestantis ingenii documenta quotidie daret , quae gratiam illi apud omnes conciliarent propter egregiam opinionem , admirationemque virtutis .

Ad supremum itaque honestissimae famae decus , & incredibilem autoritatem evasit in gravissimis rebus ; cumque inter principes viros jure quodam suo censeretur , (c) eam obtinuit brevi dignitatem , quae inter primas Reipublicae habetur ab omnibus , nec minus re , quam nomine magna *Magni Sapientis* nomine designatur . Hi pariter atque ii , quos *Ordinum & Continentis* vocari diximus , Senatorum suffragiis eliguntur ; sed numero sex , & vero ex iis , qui in Senatu ipso principem locum obtinent , longoque rerum usu , & maximis in Rempublicam meritis ceteros omnes multum post se reliquerunt . His ipsis , ubi tantam dignitatem semel adepti fuerint , (d) senatoriam vestem nunquam deponere fas est , quod etiam *Consiliariis* contingit inter eos

(a) ut denique undecimum , &c.) Siquidem inter continentis Sapientes cooptatus etiam est annis 1600. V. kal. apr. 1601. prid. kal. apr. 1602. III. ante easdem kalendas ; 1603. prid. kal. jul. eademque pariter die annis 1604. 1605. ac denum VI. kal. sept. anno 1617.

(b) in Senatum lectus est) Terdecies in Senatum lectus est *Maurocenus* , ut testantur citati saepius commentarii ; cum per alios annos amplissimum magistratum , quos gerebat , causa in Senatum nihilominus tecum suffragii jure admitteretur .

(c) eam obtinuit dignitatem , quae... *Magni Sapientis* nomine designatur .) *Magni Sapientis* , quem etiam Sapientem consilii vocamus , amplissima dignitas primum delata est *Mauroceno* anno 1603. postridie kal. oct.

(d) Senatoriam vestem nunquam deponere fas est) *Andreae* nostri aetate consuetudo adhuc illa Venetiis obtinebat , ut qui semel *Consiliis Sapiens* aut *Consiliarius* fuisset , praeterea qui equestris ordinis insignia consecuti essent , totius vitae tempore vestem laxis , & ad terram fluentibus manicis gestarent , quam *dualem* vocant , ideo fortasse , quod taliter manicatam vestem primum solli Duci ferre mos fuit . Quam plurimi propterea ex patriciis erant , qui ita induiti incedebant . Anno itaque M. DC. XXXVI. *Andrea Mauroceno* , *Pauli* , qui *Andreae* nostro frater erat , filio , ac *Antonio Venerio* , *Consiliariis* , nec non *Joanne-Baptista Fuscareno* , ac *Joanne Cernovicchio* , qui inter quadraginta viralis consilii *Capita* erant , referentibus , *Majus Consiliis* iusfit , ne cui per totum vitae tempus *dualem* vestem indui , praeterquam aedis sancti Marci Procuratoribus , Principis fratri , ejusve filio natu maximo , ac Magno Cancellario , lic eret : ceteri , abdicato magistratu , laxioribus etiam manicis vestem , quae magistratus insigne est , exuerent . Equitibus interiores velles purpurei coloris , communis tamen aliis patriciis toga superindueta , togae vero praecingenda zonam auro praetextam , aureisque bullis , auro quoque praetextam *solam* gestare , permisum esset : *solam* vocamus vulgo , patriciae vestis brevem appendicem duabus ferme usnis longam , dimidia latam , non illi quidem assuntam , sed dividuam , quae expassa ex capite , eni tegendo antiquitus , ut narrant , cucullus erat , in sinistrum humerum dejecta est . Hanc auro praetextari , ordinis insigne , nostris etiam temporibus Equites ferunt ; vestium purpurearum usu interiectis temporibus sponte sua intercidit , abrogante nemine . Id memorant *Baptista Nanius Historiae Rēpublicae Venetae* tomo priore , & *Alexander Vianolus Historiae Venetae* parte altera , ad annum 1636. Qui insuper narrant , mistius cetero fuisse ,